



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Svmma, Sive Avrea Armilla Bartholomæi Fvmi Placentini,
ordinis Prædicatorum, ac hæreticæ prauitatis Inquisitoris**

Fumo, Bartolomeo

Antverpiae, 1570

Placere.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30427

municationem. de rap.

PISCATIO.

PISCATIO, venatio, aucupium, omnibus ex se sunt licita: redduntur autem illicita in maioribus solennitatibus, ut est dies pasche, & huiusmodi: in alijs autem minoribus, & in dominicis sunt licita, si sit causa vrgens, ut indigentia, vel quia alio tempore pisces, vel animalia haberi non possunt, quia non comparent, & cum licentia saltim parochialis, & quod pars vna detur pauperibus, ca. licet. de fer. Hæc intellige quando principaliter sit causa lucri, si autem fiat causa recreationis, prædicta non requiruntur, sed absolute licet.

² **P**ISCARI in fluminibus publicis, & perpetuis, omnibus licet, nec potest recte prohiberi, secundum Ioan. de Plat. in sit. de rerum diui. §. flumina. Similiter applicare naues ad portum, & eas ad saxa, vel arbores ligare, quæ in ripa existunt licet, etsi proprietas talium sit aliquotum singularium, quorum sunt prædicia, vsus tamen communis est. Et si dominus fundi, & nauis concurrunt, præfertur dominus nauis, alijs præfertur qui primo occupat, nisi aliquis eorum prætenderet publicam vtilitatem, & alius priuatum, quia tunc præfertur, qui prætendit publicam, secundum Butt. vide aliquid infra, Venatio, per totum.

PLACERE.

PLACERE hominibus tunc mortale peccatum est cum propter hoc Dei præcepta, vel hominum quis transgreditur, & magis vult Deo displicere quam homini, secundum illud Apostoli, Si hominibus placerem, seruus Christi non essem. de hoc Ar. Fl. 2. par. tit. 10. c. 2. & Th. secunda secundæ. q. 115. a. 1. supra. Adulatio. §. 2. & secundum finem, media, & circumstantias iudica de mortali, vel veniali.

POLLVTIO.

POLLVTIO qua solitarie semen humanum effunditur extra vas debitum, siue in somno, siue in vigilia accidat, si non est voluntaria, peccatum non est: si autem sit voluntaria est peccatum mortale, quia contra naturam:

& dicitur mollities. Est autem voluntaria, quando est procurata, vel veniendi ex se, consentire: & quando quis potest, & debet prohibere, & non prohibet, dicitur indirecte volita. Si autem non potest prohibere, quia natura facit opus suum, non tenetur. Et si potuit impedire tollendo occasiones, & tamen non tenebatur tollere, ut quia dabat operam rei licite, equitando, vel dormiendo, vel audiendo confessionem, & huiusmodi, non est in culpa, etiam quod non impedierit. Quando autem non habet rationabile causam commorandi in cogitationibus turpibus, vel non dat operam rei licite, secus est, quia non potest licite peccato excusari, secundum Caiet. in summ. ibi. & q. 1.

² **P**OLLVTIO que fuit peccatum mortale, impedit suspensionem communis, & quia in peccato mortali non est sumenda, & quia vsque ad 24. horas, natura hominis sic remanet deordinata, secundum Thom. 3. par. q. 80. a. 7. & 4. senten. d. 9. a. 4. si tamen quis post tale pollutionem, que fuit mortalis, confessus, & contritus, celebret ante 24. horas, ex deuotione, etiam cessante magna necessitate, non peccat mortaliter, nec est aliquod preceptum ecclesie hoc prohibens, & iura antiqua, ut c. qui nocturno. d. 6. non amplius obligant, sed est de consilio, quod expectat per 24. horas: quod patet per Thom. 4. senten. d. 16. in expositione literæ.

³ **P**OLLVTIO que inuoluntarie accidit, si complaceat in ipso actu, vel post, propter delectationem, etiam quod causa illius non sit mortalis, est peccatum mortale ex ipsa complacentia. Si autem complaceat propter naturæ alleviationem, & exonerationem, non est mortalis, sec. Tho. 4. sent. supra, & Per. de Pal. Similiter appetens pollutionem propter eandem causam, non peccat mortaliter, nisi ex tali appetitu haberet sufficiens causa voluntaria ipsius pollutionis, secundum quandam opinionem, quam recitat Per. de Palu. ibi, & hoc rationabile est, quia appetere quod